

executione ad Omnipotentis Dei gloriam consequantur.

§.1. Siquidem cum alias Nos Ecclesie Bisuntinae Archiepiscopum, & Pastorem eligentes, ac praesentes Ven. Fratrem Joannem Jacobum Fauche de Dompred, Decanatum primam ibidem dignitatem post Pontificalem apostolicam provisionem affectam, quam ille tunc obtinebat, Nobis specialiter etiam reservaverimus, ac praedictam reservationem Capitulo, & Canonice ejusdem Ecclesie nostris literis in forma Brevis dat. sub Annulo Piscatoris die 26. Februarii hujus anni insinuantes, eisdem monuerimus, ut personas optime meritas, ac servitio Dei, Ecclesiaeque aptiores, Nobis suo testimonio quamcunq; referrent, quarum unica dignitas probe conferri posset, prout nos omni personarum acceptatione postposita collaturos asseveravimus; illis interea specialiter inhibentes, ne quid circa dictum Decanatum, aut Decani electionem agerent, vel attentarent, cujuscumque praesentis facultatis, indulti, privilegii, consuetudinis, vel alio titulo, nisi eorum juribus (si qua praetenderent, ad nostram audientiam relatis, nostraque declaratione, atque iustione expectata, qua praecedente cognitione, ac deliberatione ad ipsorum notitiam delata fuisset: Declarantes irritum, & inane, quidquid fecus in praemissis ab eis, vel aliquo, seu aliquibus eorum quomodocumque, & qualitercumque contingeret fieri, vel attentari. Quibus sane literis nostris ab eis receptis specialem Nuncium ad Nos miserunt Claudium Antonium Reud ex eorum gremio delectus, qui nostro praesentatus conspectui, literisque Capitulo redditis dat. die 26. Aprilis ejusdem anni, quibus suam erga Nos, & Apostolicam Sedem devotionem, ac obsequium contestantes nostris super praemissis mandatis unanimum obedientiam profitebantur, benigne exceptus, ac subinde quatuor Curiae nostrae Praelatos doctrina, & integritate praesentes informare iussus fuit, ut eorum auditis votis, certius reciperet iustitiae complementum. Interea tamen dum haec coram Nobis agerentur, convocato Capitulo, nonnulli ex eis, majorem forsitan tunc interessentium partem constituentes, nostris non attentis mandatis, inhibitionibus, atque decretis, nullaque ad Nos delata, ac pendente in audientia nostra cognitionis ratione habita, ad electionem Guglielmi Humberti Praecipiani, seu de Praecipiano Archidiaconi Majoris, cum eis praesentis, ac satagentis in ejusdem Ecclesiae Decanum Majorem profilitate, ac in possessionem dictae Dignitatis, ejusque bonorum, & jurium immittere, imo verius intrudere, loquumque in choro assignare nulliter, perperam, & temerarie ausi fuerunt. Quare Nos praemissis omnibus attente percensis, auditisque, etiam praedictis Praelatis, ac toto negotio mature considerato attendentes detestabilem hujusmodi dictorum Canoniceorum temeritatem, & petulantiam, gravissimis quidem

Motiva hujus
Constitut.

Canonice quibusque poenis iustissime puniendam, ne Apostolicae Sedis Majestas ab omnibus, praesertim autem ecclesiasticis personis maxime veneranda, contemnatur impune, & ecclesiastica disciplina observantia pernicioso inquinetur exemplo, veruntamen legum severitatem apostolicae lenitatis moderatione temperare volentes, motu proprio, non ad alicujus super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberatione, & ex certa scientia, declaramus electionem praedicti Decani, & omnia, & singula circa eum acta, gesta, & possessionem, seu verius intrusionem, ac caetera quaecumque subsequuta, nullam penitus, & attentatam, nullaque, & attentata, & nullius roboris, aut momenti fuisse, & esse neque in quovis iudicio, tam petitorio, quam possessorio, & summariissimo, & meri facti prodesse, atque attendi posse, vel debere, sed eundem Decanatum adhuc vacare, ut prius vacabat per promotionem praedicti Joannis Jacobi ad dictam Archiepiscopalem Ecclesiam, sublata cuicumque aliter iudicandi, decernendi, ac interpretandi potestate, irritum proflus, ac inane decernentes quidquid fecus fieri, decerni, atque attentari contigerit.

Ordinationes.

§.2. Insuper dicto Guglielmo Huberto Praecipiano tanti facinoris auctori, promotori, seu fautori nullum omnino in dicta dignitate, neque illius possessione, vel quasi, neque ad eam jus acquisitum fuisse, vel acquiri potuisse, sed ipsum perpetuo inhabilem, & incapacem ad praedictum Decanatum, & alia quaecumque Ecclesiastica Beneficia quocumque etiam novo titulo, causa, vel praetextu obtinendum, ac possidendum effecimus, reddimus, decernimus, ac declaramus, ut in eo quod sua ambitione deliquit, condignia animadversione puniatur, & facinoris sui damnabilem memoriam jugiter detestetur; Illi eadem auctoritate specialiter, expresseque mandantes, ut statim habita praesentium nostrarum literarum intimatione (quam si ille in Civitate Bisuntina praesens non sit, domi ejus habitationis, & ad valvas Cathedralis Ecclesiae validam, legitimam, & sufficientem perinde acti personaliter facta fuisset, fore decernimus) a possessione, seu potius occupatione, ac intrusione dicti Decanatus, ac ejus jurium, & bonorum recedere, illamque liberam proflus dimittere, & relinquere, neque ad eam amplius redire, reverti, vel accedere, nulloque fructus, redditus, vel proventus exigere, vel etiam a sponte dantibus recipere audeat per se, vel alium, aut alios quovis contra praesentis nostri interdicti, atque inhibitionis praecipuum sub poena excommunicationis eo ipso incurrendae, cujus absolutionem Nobis tantum, ac Successoribus nostris refervamus; Et nihilominus si mandatis huiusmodi nostris infra terminum novem dierum ab intimatione illi [ut praemissum est] factenda, quorum tres pro primo, alios tres pro ultimo Canonice peremptorio illi assignamus, prompte, & humiliter non paruerit, vel

Clausula pe-
nales.

vel ausu temerario per se, vel alios quacumque auctoritate, medio, causa, vel praetextu ausus fuerit aliquatenus se opponere, contraire, vel promptam obedientiam differre, ultra praedictae excommunicationis incursum, exinde invocato etiam, si opus fuerit, brachii secularis auxilio, amoveri, eicci, & expelli mandamus, & quoscumque illi, contra praemissa quocumque modo auxilium, favorem, & assistentiam tam in iudicio, quam extra praesentibus, ut praesentes nostrae literae suam plenariam executionem non habeant, aut aliquatenus differatur, aut retardetur, eandem excommunicationem eo ipso incurrere pariter decernimus.

§.3. Praeterea eundem Guglielmum Praecipianum, & singulos alios Canonicos, & quemlibet eorum, qui in ejus electionem per se ipsos, vel Procuratores consenserunt, ac vota dederunt, ab executione Sacrorum Ordinum, & ab exercitio quorumcumque officiorum suspendimus. Necnon eorum singulos ad nostrum, & Sedis Apostolicae beneplacitum privamus voce activa, & passiva, & omnibus fructibus, & redditibus eorum praebendarum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum [si quae obtinent] quos per Episcopos, & Ordinarios locorum, in quibus eadem Praebendae, ac Beneficia constitunt in pauperum elemosynas distribui, & erogari jubemus. Et quotidianis etiam distributionibus, quas caeteris Ecclesiae inferventibus accrescere decernimus. Nobis insuper reservantes praedictas poenas contra eorum singulos augere, prout cujuslibet contumaciam, magis exposcere cognoverimus.

Poenas sibi
augere refer-
vat.

§.4. Et ne ipsi, aut aliqui eorum praesentium nostrarum literarum declarationis, suspensionis, & privationis ignorantiam ullo unquam tempore praetendere, aut allegare possint, imo publice omnibus innotescant, committimus, & mandamus in virtute sanctae obedientiae infrascriptis exequutoribus deputatis, & eorum cuilibet infolidum, ut easdem nostras literas, seu earum copiam manu publici Notarii transumptam, in cujus calce nomina, & cognomina praefatorum, qui electionem hujusmodi temere, & attentate fecerunt, ausi fuerunt, describi, ac specificari faciant quocumque, ac toties quoties fuerint eisdem exequutoribus, & cuilibet illorum praesentate, illas praedicto Guglielmo, & singulis ejus Electoribus praedictis intimari personaliter si in Civitate reperientur, sin minus domi eorum habitationis, & amplius valvis Ecclesiae Cathedralis, seu majoris loci, in quo haec agentur, affigi curent.

Edictum hoc
publicari vult

Decretum in-
citant.

§.5. Decernentes praesentes literas nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae defectu etiam ex eo, quod interesse habentes forsitan vocati non fuerint, vel aliter notari, argui, seu impugnari, aut sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus etiam ab eadem Sede emanatis, &

imposterum emanandis comprehendi posse, sed illas semper validas, & efficaces existere, suosque plenarios, & integros effectus sortiri debere; Sicque per quoscumque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique iudicari, & definiti debere, necnon irritum, & inane, si fecus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contrigerit attentari.

§.6. Quocirca Ven. Fratribus Archiepiscopo Bisuntino, & Episcopo Andrevellen. suffraganeo, ac dilectis filiis causarum Curiae Camerae Apostolicae Generali Auditori, & Officiali Bisuntin. necnon aliis quibuscumque Ven. Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, eorumque Officialibus ubicumque existentibus, quibus praesentes nostrae literae fuerint exhibitae, ac praesentatae per praesentes committimus, & mandamus in virtute sanctae obedientiae quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios easdem literas, & in eis contenta quaecumque ubi, & quando opus fuerit, aut quoties desuper fuerint requisiti solemniter publicantes, faciant eas executioni omnino demandare, & eas plenarios obtinere effectus juxta earum continentiam, & tenorem, non permittentibus eas quovis modo impediri, vel retardari: Contradictores quoslibet, & rebelles, ac praemissis non parentes per sententias, censuras, & poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, necnon illos sententias, censuras, & poenas praedictas incurrisse declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Sub poenis
edictum ser-
vari mandat.

§.7. Non obstantibus praemissis, ac aliis apostolicis, necnon in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac etiam praedictae Ecclesiae Bisuntinae, atque etiam juramento, confirmatione apostolica, & quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis quibuscumque, vel quibusvis aliis personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, & alias quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma, ad hoc servanda foret, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse

Contrarium
desogat.

preffe derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem. Ceterum quia difficile foret earumdem presentium literarum notitiam ad quascumque personas pervenire, & ubique illas presentare, eadem auctoritate volumus, & decernimus, quatenus Transumptis earumdem presentium literarum manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides ubique, tam in iudicio, quam extra illud adhibeatur, quae presentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Transumptorum fides.

Dat. die 9. Dec. 1661. An.VII.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 5. Dec. 1661. Pontificatus nostri Anno VII.

CCCLXVI.

Innovatio Constitutionum, & Decretorum in favorem sententiae asserentis, animam Beatae Mariae Virginis in sui creatione, & in corpus infusione a peccato originali praeservatam fuisse, editorum.

Conceptionis B.M.V. disputatio, quomodo sit prohibita, & punita, vide ad Constit. 158. Pii V. Tom.4. Par.3. fol.138. Pauli V. Constit. 262. Tom.5. Par.4. fol.209. Et Greg. XV. Constit. 68. Tom.5. Par.5. fol.45.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Solicitude omnium Ecclesiarum, quam licet meritis, & viribus longe impares, Dei Optimi Maximi voluntate, & providentia gerimus, in id Nos anxie tenet intentos, & vigilantes, ut scandala, quae inter fideles pro humanae naturae corruptione, & fragilitate necesse est ut veniant, quantum fieri potest, paucissima exoriantur, utque exorta quam celerrime, & quam diligentissime amoveantur; nam iis per quos veniunt, certam peccati perniciem, quibus vero praebentur, praesens afferunt labendi periculum; quorum Nos pro nostro pastoralis officii debito, & damnum summopere dolemus, & discrimine assidue urimur.

Motiva hujus Constitut.

§.1. Sane vetus est Christi fidelium erga ejus Beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas, sententium, ejus animam in primo instanti creationis, atque infusione in corpus fuisse speciali Dei gratia, & privilegio, intuitu meritorum Jesu Christi ejus filii, humani generis Redemptoris, a macula peccati originalis praeservatam immunem, atque in hoc sensu ejus Conceptionis festivitatem solemniter ritu colentium, & celebrantium; crevitque horum numerus, atque hujusmodi cultus post editas a felic. record. Sixto Papa IV. Praedecessore nostro in ejus commendationem Apostolicas Constitutiones, quas Sacrum Concilium Tridentinum innovavit, atque obser-

vari mandavit. Aucta rursus, & prorogata fuit pietas haec, & cultus erga Deiparam post erecta hoc nomine, approbantibus Romanis Pontificibus, Monasteria religiosorum Ordinum, & Confraternitates, ac concessas ab iisdem indulgentias, ita ut accedentibus quoque plerisque celebrioribus Academiis ad hanc sententiam, jam fere omnes Catholici eam complectantur.

§.2. Et quia ex occasione contrariae asserentis in concionibus, lectionibus, conclusionibus, & actibus publicis, quod nempe eadem Beatissima Virgo Maria fuerit concepta cum peccato originali, oriebantur in Populo Christiano cum magna Dei offensa scandala, jurgia, & dissensiones, recol. mem. Paulus Papa V. etiam Praedecessor noster vetuit horum opinionem praefatae sententiae contrariam publice doceri, aut praedicari. Quam prohibitionem pia mem. Gregorius Papa XV. similiter Praedecessor noster ad privata etiam colloquia extendit; mandans insuper in favorem ejusdem sententiae, ut in sacrosancto Missae Sacrificio, ac divino officio celebrandis, tam publice, quam privatim, non alio quam Conceptionis nomine uti quicumque debeant.

Supplicatio.

§.3. Nihilominus, prout Venerabiles fratres Episcopi fere omnes Hispaniarum cum Ecclesiarum suarum Capitulis datis ad Nos literis exposuerunt, accedente etiam insinuatione charissimi in Christo filii nostri Philippi earumdem Hispaniarum Regis Catholici, qui specialem super hoc misit ad Nos Oratorem Venerabilem Fratrem Ludovicum Episcopum Placentinum, per quem etiam delatae fuerunt ad Nos supplicationes Regnorum earumdem Hispaniarum, pergunt aliqui contrariae illius opinionis asserentes contra praefatas prohibitiones tum privatim, tum publice praefatam sententiam aut impugnare, aut vellere, & favorem a Romanis Pontificibus cultui, & festo secundum illam praesentem ita interpretari, ut frustrentur, imo Ecclesiam Romanam huic sententiae, & cultui juxta illam Beatae Virginis exhibitio favore negant, pios Christianos ad sua pacifica quasi possessione deturbare conando, unde offensiones, scandala, & jurgia, quibus obviare voluerunt Paulus V. & Gregorius XV. nostri Praedecessores perdurant adhuc, & ex occasione eorumdem adversantium majora incommoda in posterum prudenter, & merito timentur. Quapropter super his tam praefati Episcopi cum Ecclesiarum suarum Capitulis, quam memoratus Philippus Rex, ejusque Regna Nobis pro opportuno remedio instanter supplicari fecerunt.

§.4. Nos considerantes, quod Sancta Romana Ecclesia de intemerata semper Virginis Mariae Conceptione festum solemniter celebrat, & speciale, ac proprium super hoc officium olim ordinavit juxta piam, devotam, & laudabilem institutionem, quae a Sixto IV. Praedecessore nostro tunc emanavit; volentesque laudabili

bili huic pietati, & devotioni, & festo, ac cultui secundum illam exhibitio in Ecclesia Romana post ipsius cultus institutionem, nunquam immutato Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum exemplo favere, necnon tueri pietatem, & devotionem hanc colendi, & celebrandi Beatissimam Virginem, praeviente scilicet Spiritus Sancti gratia a peccato originali praeservatam, cupientemque in Christi grege unitatem spiritus in vinculo pacis, sedatis offensionibus, & jurgiis, amotisque scandalis conservare: ad praefatorum Episcoporum cum Ecclesiarum suarum Capitulis, ac Philippi Regis, ejusque Regnorum oblatam Nobis instantiam, ac preces, Constitutiones, & Decreta a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris, & praecipue a Sixto IV. Paulo V. & Gregorio XV. edita in favorem sententiae asserentis animam Beatae Mariae Virginis in sui creatione, & in corpus infusione Spiritus Sancti gratia donatam, & a peccato originali praeservatam fuisse, necnon & in favorem festi, & cultus Conceptionis ejusdem Virginis Deiparae secundum piam istam sententiam, ut praefertur, exhibiti, innovamus, & sub censuris, & poenis in eisdem Constitutionibus contentis observari mandamus.

Ordinationes. Decreta Sixti IV., Pauli V. & Greg. XV. confirmat.

§.5. Et insuper omnes, & singulos, qui praefatas Constitutiones, seu Decreta ita pergent interpretari, ut favorem per illas dictae sententiae, & festo seu cultui secundum illam exhibitio frustrentur, vel qui hanc eandem sententiam, festum, seu cultum in disputationem revocare, aut contra ea quoquo modo directe, vel indirecte, aut quovis praetextu, etiam definitivitate ejus examinanda, sive Sacram Scripturam, aut Sanctos Patres, sive Doctores glossandi, vel interpretandi, denique alio quovis praetextu, seu occasione, scripto, seu voce loqui, concionari, tractare, disputare, contra ea quicumque determinando, aut asserendo, vel argumenta contra ea asserendo, & insoluta relinquendo, aut alio quovis inexcogitabili modo differendo, ausi fuerint, praeter poenas & censuras in Constitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos subjacere volumus, & per praesentes subiicimus, etiam concionandi, publice legendi, seu docendi, & interpretandi facultate, ac voce activa, & passiva in quibuscumque electionibus eo ipso absque alia declaratione privatos esse volumus, necnon ad concionandum, publice legendum, docendum, & interpretandum perpetuae inhabilitatis poenas ipso facto incurrere absque alia declaratione; a quibus poenis non nisi a Nobis ipsis, vel a Successoribus nostris Romanis Pontificibus absolvi, aut super iis dispensari possint: necnon eosdem aliis poenis nostro, & eorumdem Romanorum Pontificum Successorum nostrorum arbitrio infligendis pariter subjacere volumus, prout subiicimus per praesentes, innovantes Pauli V. & Gregorii XV. superius memoratas Constitutiones, sive Decreta.

Clausula pgnales.

§.6. Ac libros, in quibus praefata sententia, festum, seu cultus secundum illam in dubium revocatur, aut contra ea quomodocumque, ut supra, aliquid scribitur, aut legitur, seu loquutiones, conciones, tractatus, & disputationes contra eadem continentur, post Pauli V. supra laudatum Decretum edita, aut in posterum quomodolibet edenda, prohibemus sub poenis, & censuris in Indice librorum prohibitorum contentis, & ipso facto absque alia declaratione pro expresse prohibitis haberi volumus, & mandamus. Vetamus autem Sixti IV. Constitutionibus inherentes, quempiam asserere, quod propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, haeresis crimen, aut mortale peccatum incurrant; cum a Romana Ecclesia, & ab Apostolica Sede nondum fuerit hoc decusum, prout Nos nunc minime decidere volumus, aut intendimus: quin potius contrariam illam opinionem haeresis, aut peccati mortalis, aut impietatis damnare audentes, praeter poenas, quibus eos subiecit Sixtus IV. alique Praedecessores nostri Romani Pontifices, gravioribus aliis poenis subiicimus, quas in contrariis huiusmodi nostrae Constitutioni superius infliximus.

Transgressores puniri mandat.

§.7. Volentes quod contra hujus nostrae Constitutionis transgressores, etiam regulares cujusvis Ordinis, & Instituti, etiam Societatis Jesu, & quomodolibet exemptos, & alias quascumque Ecclesiasticas, & seculares personas cujuscumque status, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticae, quam secularis, ut praefertur, tam Episcopi, & Praelati, Superiores, alique locorum Ordinarii, quam haeretice pravitatis ubique locorum deputati Inquisitores procedant, & inquirent, atque in eos stricte animadvertant: Nos enim iis, & eorum cuilibet contra eosdem transgressores procedendi, & inquirendi, ac poenis coercendi, & puniendi liberam facultatem, & auctoritatem iisdem auctoritate, & tenore tribuimus, & impertimur, eosque, ut praefertur, procedere, inquirere, & punire districte praecipimus, & mandamus.

Contrarietol. lit.

§.8. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac quibusvis indultis, & Liter. Apostolicis quibusvis personis quantumcumque qualificatis, & in quacumque, etiam Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, & quavis alia dignitate, & honore constitutis, etiam quod contra eos procedi, interdicti, suspendi, vel excommunicari nequeant, quomodolibet concessis. Quibus omnibus, & eorum singulis etiam si pro sufficienti illorum derogatione de eis, ipsorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per generales, etiam idem importantes clausulas mentio habenda, aut alia exquisita forma observanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis,

sis, & infertis habentes, harum serie specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sub privatione ab ingressu in hanc Const. publicari, & observari mandatur.

§.9. Ut autem haec nostra Constitutio, & praemissa omnia ad eorum omnium, quorum interest notitiam congruentius pervenire possint, in virtute sanctae obedientiae, & sub poena privationis ab ingressu Ecclesiae eo ipso incurrenda praecipimus, & mandamus omnibus, & singulis locorum Ordinariis, ac eorundem Vicariis, Suffraganeis, & Officialibus quibuscumque, & aliis singulis, ad quos quomodolibet spectat, & pertinet, quatenus hujusmodi nostram Constitutionem singulis suae Diocesis, vel districtus praedicatoribus, & aliis, quibus expedire judicaverint, opportune insinuent, & publicent, ac insinuari, & publicari faciant, ne quis in posterum quoquo modo ignorantiam de praemissis possit praetendere, aut se contra praemissa valeat excusare.

Transumptum fides.

§.10. Volumus, & similiter eadem auctoritate decernimus, & mandamus, quod praesentes litterae per aliquos ex nostris Curatoribus in Basilicarum S. Joannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum, & Cancellariae Apostolicae valvis, ac in acie Campi Florae de Urbe de more publicentur, & affigantur; quae affixio, & publicatio ita omnes, & singulos, ad quos spectat, afficiat, & ardeat, ac si illis personaliter intimata fuissent; & quod illarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus literis adhiberetur, si ostensa, vel exhibitae forent.

Dat. die 8. Dec. 1661. An.VII.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 8. Decembris 1661. Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCLXVII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio Decreti Congregationis Rituum, quo indulgetur, ut in universo Regno Siciliae Officium S. Agathae Virginis, & Martyris, quod ab universali Ecclesia sub ritu semiduplici recitatur, posthac ritu duplici recitari possit.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Motiva.

§.1. **E** Manavit alias ad instantiam dilecti filii nostri Camilli S.R.E. Praefbyteri Cardinalis Aitalii nuncupati Ecclesiae Catanien. ex concessione, & dispensatione Apostolica Praefulis, ac dilectorum filiorum Communitatis, & hominum Civitatis Catanien. a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S.R.E. Cardinalium Sacris Ritibus praepositorum Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

Decretum S. Congreg.

Praecipibus Eminentissimi Domini Car-

dinalis Aitalii Episcopi, necnon Civitatis Cataniae benigne inclinata Sacrorum Rituum Congregatio indulget, ut in universo Regno Siciliae Officium S. Agathae Virginis, & Martyris, quod ab universali Ecclesia sub Ritu semiduplici recitatur, posthac Ritu duplici recitari possit. Die prima Octobris 1661.

J. Episcopus Sabinen. Card. Sachettus. Franciscus Maria Phoebeus Sac. Rit. Congr. Secretarius.

Decretum confirmat.

§.2. Cum autem, sicut dicti Camillus Cardinalis, ac Communitas, & homines Nobis nuper exponi fecerunt ipsi Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia apostolice confirmationis nostrae robore communiri summopere desiderent. Nos ejusdem Camilli Cardinalis votis quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, ac dictorum Communitatis, & homines singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praesentium auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolice firmitatis robur adiciamus; Salva tamen semper in praemissis auctoritate praedictae Congregationis Cardinalium.

Contraria tollit.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 14. Dec. 1661. An.VII.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 14. Decembris 1661., Pontificatus nostri Anno VII.

CCCLXVIII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Confirmatio Statuti a Congregatione generali Ordinis Minorum S. Francisci Recollectorum Provinciae Conceptionis B.M.V. in Gallia. Anno 1621. editi conformiter ad explicationem ab alia Congregatione generali die 25. Junii proxime praeteriti factam super praecedentia inter Exprovinciales, & Exdefiniores generales dicti Ordinis.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio.

§.1. **E**xponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Minister Provincialis, Definitor generalis, Custos, & Definiores Provinciae Conceptionis B.M.V. Immaculate in Gallia Fratrum Minorum Ordinis Sancti Francisci Recollectorum nuncupatorum, quod alias in Congregatione generali

rati ejusdem Ordinis Segoviae in Hispania anno 1621. celebrata pro confusione, & ab usibus evitandis factum fuit Statutum generale pro Ultramontana familia super praecedentia Fratrum Provincialatus officio functorum, ac illorum, qui Definiores generales fuerunt, tenoris sequentis, videlicet.

Decretum.

Deinde, qui Definiores generales fuerunt, qui etiamsi antea Ministri Provinciales fuerunt, alios, qui eodem munere functi sunt, sin minus, illos dumtaxat, qui post Definitoriatum munus expletum ad ministeriatum sunt promoti.

Quia vero Statutum sic enunciatum, & inviolate servandum a quibusdam varie explicabatur, unde quaedam lites oriebantur in supradicta Provincia; ad has sedandas remissa fuit explicatio dicti Statuti ad Definitorium generale Congregationis generalis nuperrime celebratae in Conventu Vallisoletano in Hispania die 25. Junii 1661. quod Definitorium generale denuo idem Statutum stabilivit, confirmavit, & explicavit per verba tenoris, qui sequitur, videlicet.

Deinde, idest post Exprovinciales, sedebunt, qui Definiores generales fuerunt, qui si antea Ministri Provinciales fuerint, alios, qui eodem munere Ministeriatum functi sunt praecedent, sin minus, idest si Definiores generales non fuerint antea Provinciales, illos dumtaxat praecedent, qui post Definitoriatum munus expletum ad Ministeriatum sunt promoti, idest solos Ministros futuros.

§.2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ut paci, & quieti Provinciae praefatae consulatur, dicti Exponentes explicationem memorati Statuti in Definitorio generali Congregationis generalis Vallisoletanae hujusmodi factam apostolice confirmationis robore communiri summopere desiderent: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositorum, qui relationem dilecti filii Vicecommissarii generalis Curiae Ordinis hujusmodi audiverunt, consilio, attentis narratis, praefatum Statutum a Congregatione generali habita in Conventu Segovien. de anno 1621., ut dicitur, emanatum, conformiter ad praemissam explicationem factam ab alia Congregatione in Conventu Vallisoletano habita sub die 25. Junii currentis anni, auctoritate apostolica, tenore praesentium approbamus, & confirmamus.

Confirmat decretum.

Bull. Rom. Tom. VI. Par. V.

mamus, & juxta illius tenorem, ac formam deinceps fieri, servarique mandamus, & praecipimus.

Clausula.

§.3. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria derogat.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quantum opus sit, praefatorum Ordinis, & Provinciae, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 10. Dec. 1661. An.VII.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10. Dec. 1661. Pontificatus nostri Anno VII.

CCCLXIX.

Breve Beatificationis Francisci de Sales Episcopi Genevensis.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procuratio.

Spiritus Sanctus, qui suo incomprehensibili judicio humilitatem, atque infirmitatem nostram posuit regere Ecclesiam Dei, quum in Divinis scripturis viros gloriosos, nimirum Sanctos laudari praecipit, eorumque sapientiam, & laudem narrari a populis, & nunciari ab Ecclesia docet Nos, atque illuminat quid nostris etiam temporibus agere debeamus. Quapropter Apostolica gubernationis curam, & cogitationes in id sollicito intendimus, ut non modo eorum, qui praesens, sed & qui proximis aetati nostrae seculis sanctitate, ac virtutibus eximie claruerunt, nomen, & gloria ubique gentium innotescat, pioque fidelium cultu, & honore palam veneretur. Atque ideo tendentibus nuper in id ipsum piis Catholicorum Regum precibus, Praefulumque, & Principum, aliorumque Christi famulorum votis, Nos libenter annuimus, prout matura consideratione praemissa ad Omnipotentis Dei gloriam, ad Ecclesiae Catholicae decus, & praesidium in Domino salubriter expedire cognoscimus.

Motiva.

§.1. Cum itaque charissimus in Christo filius noster Ludovicus Rex Francorum, Christianissimus una cum Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, ac universo Clero, Proceribus, & Universitatibus Studiorum generalium Regni Galliarum, necnon charissima in Christo filia nostra Anna Francorum Christianissima, & Henriceta Angliae illustris, Regina Viduae,

A a ac

ac dilectus filius nobilis vir Carolus Emanuel Sabaudia Dux, & Pedemontii Princeps, atque universus Ordo Monialium Visitationis Beate Mariæ Virginis a Servo Dei Francisco de Sales Episcopo Genevensi institutus: præsertim vero dilectæ in Christo filia Superior, & Moniales Monasterii Oppidi Annessii Genevensis Diocesis, impetraverint alias ab hac Sancta Sede facultatem, ut processus fierent super non cultu, ac super inquisitione de vita, & moribus, heroicisque virtutibus, ac de miraculis, quibus prædictus Servus Dei Franciscus de Sales fulgere asserbatur.

§.2. Cumque postmodum processus huiusmodi confectos Congregatio Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium sacris Ritibus preposita mature, acerrimeque discussit; ac de eorum validitate, ac relevantia constare declaraverit: Nempe de huius Servi Dei vitæ eximia sanctitate, & de assiduo virtutum theologiarum, Cardinalium, cæterarumque omnium exercitio: Immo ultra multiplicem, & miram hæreticorum ad veritatem Fidei Catholice conversionem, cum novem miracula insigniora ejus obitu consequuta, communi quasi voce sanctitatem ejus testantia, plene probari consuevit; quæ selecta ex processibus intercessione memorati Francisci ab Omnipotenti Deo edita recenserunt; ac præcipue duorum mortuorum suscitatio, cæci nati illuminatio, contraforum, ac præclutorum a nativitate subita, ac perfecta sanatio, Nosque declarationes hæc approbaverimus: Ideoque cum ipsi iidem Cardinales coram Nobis congregati, prævis etiam Consultorum suffragiis, unanimes affirmaverint, posse, quodcumque Nobis visum fuerit, ad solemnem huius Servi Dei Canonizationem tuto procedi, atque interim indulgeri, ut idem Franciscus nuncupetur Beatus, ac aliquibus in locis de eo tanquam de Confessore Pontifice Officium & Missa recitari, ac solemniter celebrari possint.

Confirmatur prout in rub.

§.3. Hinc est, quod Nos piis supplicationibus inclinati Regis, Reginarum, ac Præsulum, qui etiam ad Nos Venerabilem Fratrem Henricum Episcopum Anicienssem hac super re nuper ablegarunt; necnon charissimæ in Christo filia nostræ Mariæ Theresiæ Regis Francorum Conjugis Christianissimæ, ac Sabaudia Ducis, aliorumque præfatorum, illis propensa benignitate libenter annuimus: ac de præfatorum Cardinalium consilio, & unanimi assensu, auctoritate Apostolica, tenore litterarum præsentium indulgemus, ut Dei Servus Franciscus de Sales olim Episcopus Genevensis, in posterum Beati nomine nuncupetur, ejusque Corpus, & Reliquiæ venerationi fidelium (non tamen in processibus circumferenda) exponantur, Imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, atque de eo celebretur Officium, & Missa de Confessore Pontifice singulis annis juxta rubricas Breviarii, & Missalis

Romani, die scilicet 29. Januarii, qua ejus Corporis depositio in Ecclesia Monialium Sanctissimæ Visitationis Annessii in Sabaudia celebrata fuit.

§.4. Hæc vero concedimus in locis dumtaxat infra scriptis: nempe in omnibus Ecclesiis Monialium dicti Ordinis Sanctissimæ Visitationis, quem Beatus Franciscus instituit: In Cathedrali templo Lugduni, ubi diem clausit extremum: In Cathedrali Annessiensi, ubi sedit Antistes: In matrice Ecclesia loci de Sales, ubi natus est; & quidem sub ritu duplici majori. In Oppido vero Annessii, totaque Diocesi Genevensi sub duplici minori, ac tam a secularibus, quam a regularibus utriusque sexus, ac etiam a Sacerdotibus quibuscumque; eò confluentibus, quantum ad Missas attinet. Præterea, præsentibus dumtaxat anno a datis hæc literis inchoando, in supradictis, atque in singulis Cathedralibus Ecclesiis Regni Galliarum, ac Sabaudia, & Pedemontii ditionis, solemnibus Beatificationis huiusmodi Officio, & Missa sub ritu duplici majori die a locorum Ordinariis constituta, & intra sex menses promulganda, celebrandi facultatem impertimur: Romæ vero in Ecclesiis S. Ludovici Gallicanæ, & S. Sionis Sabaudia, ac Pedemontane Nationum, ac Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio, solemnibus huiusmodi Beatificationis intra bimestre proximum, postquam tamen illa in Basilica Principis Apostolorum celebrata fuerint, pariter celebrari concedimus.

Conceditur officium aliquibus locis.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibuscumque decretis super non cultu, seu alias latis, aut promulgatis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Contraria tollit.

§.6. Volumus autem, ut harum litterarum transumptis, etiam impressis, manu Secretarii prædictæ Congregationis Cardinalium sacris Ritibus præpositorum subscriptis, & sigillo Præfecti ejusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus, & ubique, tam in iudicio, quam extra adhibeatur, quæ presentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptanda fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 18. Dec. 1661. Pontificatus nostri Anno VII.

Dat. die 18. Dec. 1661. An. VII.

CCCLXX.

Pro divisione Congregationis Clericorum Regul. de Somascha in tres Provincias.

Clerici Regulares de Somascha gaudent omnibus Privilegiis Ordinibus Mendicantibus concessis, & concedendis. Pauli V. Const. Ex quo divina. Tom. 5. Par. 2. Eorumdem Privilegia confirmavit Clem. VIII. Constit. 57. Decet. Tom. 5. Par. 2. fol. 438.

ALEXANDER PAPA VII. Ad perpetuam rei memoriam.

AD Pastorale fastidium superni dispositione consilii nullo licet meritum

Exordium no.

nostrorum suffragio evesti, in eam præcipue curam sollicitis studiis incumbimus, ut Congregationes Religiosorum virorum in Ecclesia Dei pie, sancteque institutæ, ac uberes bonorum operum fructus, benedicente Domino, proferre jugiter satagentes, prospere, salubriterque dirigantur; quo laudabilibus institutis suis inhærentes, amota quacumque controversiarum, & dissidiorum occasione felicioribus in dies, divina largiente gratia, proficiant incrementis.

Motiva.

§.1. Itaque, ut in Congregatione Clericorum Regularium de Somascha pax, & religiosa unitas conservetur, & dignitates, atque officia pro meritis personarum æqualiter distribuatur, providere cupientes, de voto Congregationis nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, necnon dilectorum filiorum Romanæ Curia Prælatorum super negotiis Visitationis Apostolicæ Ecclesiarum, & locorum piorum Alne Urbis nostræ a Nobis instituta deputatorum.

Diviso Provincia.

§.2. Motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine tenore, præsentium statuimus, & decernimus, ut prædicta Congregatio Clericorum Regularium de Somascha divisa sit in tres Provincias, videlicet Lombardiæ, Venetiæ, & Romanam nuncupatas. Et Provincia quidem Lombardiæ contineat omnia loca, quæ in Statu Mediolanensi, & ditionibus adiacentibus dilectorum filiorum nobilium Virorum, Ducum Sabaudia, Mantua, & Parma, ac Domini Helvetiorum possidet, vel possidebit dicta Congregatio. Provincia vero Veneta complectatur omnia loca, quæ continentur, seu continebuntur in Dominio Reipublicæ Venetorum, & principatu Tridentino. Provincia autem Romana comprehendat loca omnia posita, vel ponenda in reliquis Italia ditionibus. Porro quælibet ex his Provinciis locum unum probationis habeat communem omnibus nationibus, ex quibus Provincia coalescit, cum professoris, quæ sufficiant pro educatione juvenutis professæ.

§.3. Ad hæc quælibet Provincia habeat quatuordecim Vocales Capituli generalis, & si aliqua ex his de præsentibus plures habet, qui electi sunt, retineant jus acquisitum: cæterum non deveniatur ad electionem novorum Vocalium pro huiusmodi Provincia, nisi postquam ejus Vocales infra quatuordecim fuerint, similiter quælibet Provincia mittat tres Socios, seu Discretos ad Capitulum generale.

§.4. Præpositi vero generalis dignitas per turnum detur non quidem nationum, sed prædictarum Provinciarum, & hic turnus incipiat anno proximo venturo 1662. a Provincia Romana, a qua transeat ad Venetam. Dignitates autem ex quibus constat Definitorium, cum omnes sint numero tredecim, æqualiter dividantur, itaut quælibet Provincia quatuor ex illis habeat; illa vero, cui per turnum Præpositus generalis contingeret, quinque.

Bull. Rom. Tom. VI. Par. V.

§.5. Præterea ubi nunc inter dignitates Definitorii sunt duo Consilarii, & quatuor Definitores, ut aptius divisio fiat, eligantur tres Definitores, itaut quælibet Provincia suam habeat Consiliarium, & suum Definitorem.

Sequuntur ordinationes.

§.6. Dignitates autem Præpositi generalis, Vicarii generalis, & Procuratoris generalis hoc ordine distribuatur, ut cuilibet Provincia per turnum semper una ex his conferatur. Procurator vero generalis functus officio sit ipso jure per subsequens triennium Consiliarius suæ Provinciæ, nisi eligatur Præpositus generalis, aut Vicarius Generalis, aut Provincialis.

§.7. Porro nemo possit esse Superior in aliqua Provincia, qui filius ejus non sit. Et quidem qui jam professi sunt, intelligantur esse filii ejus Provinciæ, in qua nati sunt, sed qui in posterum professionem emittent, ejus Provinciæ filii censentur, & sint, in qua ad Religionem admittentur, & in qua professionem emittent. Quilibet tamen sine ullo discrimine subditus esse possit in quælibet cujusvis Provinciæ Domo, salva ejus capacitate.

§.8. Nemo quoque ullo modo possit esse Superior in eadem Domo nisi per triennium, quo elapso alterum integrum triennium elabi debeat, priusquam ad ejsdem Domus regimen sub quovis titulo, five Superioris, five Vicarii admoveatur. Qui vero in proximo Capitulo generali anni 1662. reperientur aliquam Domum gubernasse per triennium, aut ultra, quovis demum titulo Superiores fuerint, a prædicta Domus regimine removeantur.

§.9. Cæterum Patres Definitorii cæteris quibuscumque præcedant, & si quando contingat eos Subditos esse in aliqua Domo, immediate post Superiorem Domus sedeant. Visitatores vero Provinciarum in posterum Præpositi Provinciales appellentur, & quilibet habeat potestatem ordinariam supra quamlibet Domum suæ Provinciæ.

Clausulas apponit.

§.10. Decernentes pariter easdem præfatas literas, & in eis contenta quæcumque, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, quantumvis magno, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas apositionis oris, restitutionis in integrum, aliudque quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, seu intentari, aut impetrato, vel etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concessio quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas præfatas literas semper firmas, validas, & efficaces existere, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari; Sicque, & non aliter in præmissis

omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac eisdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere, Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosque quoslibet quavis auctoritate, & potestate fungentes, & functuros sublatis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrarium derogatio.

§.11. Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non tollendo jure quæsito, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis Clericorum Regularium de Somascha, ejusque Provinciarum, & Domorum, Collegiorum, & locorum quorumcumque, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis eidem Congregationi, ejusque Provinciis, Domibus, Collegiis, & locis, ac Superioribus, & personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimeretur, & infereretur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis eodi mandati.

§.12. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis etiam, impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 23. Dec. 1661. An.VII.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 23. Dec. 1661. Pontificatus nostri Anno VII.

CCCLXXI.

Ex Regest. in Secret. Brevis.

Ut Capitulum Generale Congregationis Eremitarum Camaldulen. de quadrienn-

nio in quadriennium, & Dieta biennio post celebrationem Capituli hujusmodi respectively haberi, & celebrari debeant.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Debitum pastoralis officii, quod auctore Deo gerimus, postulat, ut felici, prosperoque Congregationum Virorum Altissimi obsequiis sub suavi arctioris religionis jugo mancipatorum regimini, & gubernio, quantum cum Domino possumus, providere jugiter satagemus.

Procurium.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Definitorum Dietæ Generalis Congregationis Eremitarum Camaldulensium, quod multorum annorum experimento compertum est magno incommodo, & detrimento esse eidem Congregationi, quod singulis bienniis Capitulum quidem generale uno anno, Dieta vero generalis ipsius Congregationis altero respectively celebrantur; nam cum dicti Eremitæ solitudini sint addicti, maxime de decet eos videri totum annum per diversoria vagantes ex causâ similibus Dietarum, & Capitulorum, in quibus plurimæ fieri solent mutationes Religiosorum, & Priorum, qui, quod se in eodem gubernio diu non permanentes vident, utilitati Eremitarum segnius dant operam, sæpeque contingit, ut quod unus inceperit, successor dissolvat, aut non prosequatur, quia sic opus ab aliis inchoatum. Accedit quod tam frequens Dietarum, & Capitulorum hujusmodi celebratio totam Congregationem præfatam, & præsertim Eremitum Camaldulensem gravibus sumptibus onerat; quodque Superiores majores tamen modici temporis spatium notitiam Eremitum, & negotiorum tam spiritualium, quam temporalium dictæ Congregationis capere nequeunt. Quinimò cum eadem Congregatio non solum in Italia, sed etiam in Polonia regione valde remota, benedicente Domino, propagata reperitur, nec possunt Eremitæ Poloniæ singulis bienniis visitari, nec illarum Priores, ad Capitulum Generale venire, quod tamen fieri posset, si illud de quadriennio in quadriennium haberetur. Quare dicti exponentes Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere, de benignitate Apostolica digneremur.

Supplicatio.

§.2. Nos igitur eosdem Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum ferie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut de cetero Capitulum

tulum quidem Generale de quadriennio in quadriennium, Dieta vero Congregationis Camaldulen. præfata demum biennio post celebrationem Capituli Generalis hujusmodi respectively haberi, & celebrari debeant, itaut primum quadriennium a Dominica tertia post Pascha Resurrectionis Dominicæ proxime præteritum computetur, & tertia Dominica post Pascha ejusdem Resurrectionis Dominicæ Anni 1665. expiret, ac tam moderni, quam futuri ejusdem Congregationis Superiores, qui in Capitulo Generali eligi solent, in suis respectively muneribus quadriennio durent, auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, ac perpetuo statuimus, & ordinamus.

Confirmatio decretum.

Clausula.

§.3. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quocumque spectabit, plenissime suffragari, & ab illis respectively inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrarium tollit.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis, ac aliis quibusvis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum, quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis eandi fides.

§.5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in iudicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 3. Jan. 1662. An.VII.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 3. Januar. 1662. Pontificatus nostri Anno VII.

CCCLXXII.

Ex Regest. in Secret. Brevis.

Ut servetur Breve Sanctitatis suæ super ingressu Patrum Provinciæ Turoniæ Ordinis S. Francisci de Observantia in Definitorium &c.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad futuram rei memoriam.

Expositio.

§.1. Alias pro parte dilectorum filiorum Fratrum omnium Provin-

ciarum in Regno Franciæ constitutarum, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum Nobis exposito, quod antea postquam a felic. record. Gregorio Papa XV. Prædecessore nostro emanaverat Constitutio specialis pro Provinciis Hispaniarum, & Indiarum Ordinis præfati dumtaxat, omnes Patres Provinciæ, excepto Exprovinciali ab ingressu Definitorii excludens, recol. mem. Urbanus Papa VIII. etiam Prædecessor noster Constitutionem hujusmodi ad totam familiam Ultramontanam dicti Ordinis per suas in simili forma Brevis Literas extenderat, ac in Definitorium, etiam Patrem Provinciæ antiquiorem admitti ordinaverat, idque instante Capitulo Generali memorati Ordinis de anno 1639. in Alma Urbe celebrato, cui Vocales præfatarum Provinciarum Regni Franciæ ob expressam prohibitionem eis a tunc existente Francorum Rege Christianissimo factam non interfuerant, prout nec Capitulo Generali ejusdem Ordinis successive de anno 1645. Toleti habito unde adversus præmissa reclamare, maximumque præjudicium, & detrimentum per extensionem hujusmodi memoratis Provinciis Regni Franciæ, in quibus (ut præfati Exponentes asserbant) ab immemorabili tempore omnes, qui per triennium Ministri Provincialis munere functi fuerant, voce activa in Definitorio ipsarum Provinciarum perpetuo fruebantur, omnibusque Congregationibus, & Capitulis tanquam Definitoribus perpetui intererant, illatum ostendere eatenus non valuerant: Et in eadem expositione subjuncto, quod exposito subinde in Capitulo Generali d. Ordinis in eadem Urbe ann. 1651. celebrato per Vocales dictarum Provinciarum Regni Franciæ præjudicio, & detrimento hujusmodi, per statuta generalia Ordinis præfati tunc edita, & a tunc existentium S. R. E. Cardinalium, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum Congregatione confirmata decretum fuerat, ut ab extensione, sicut præmittitur, a præfato Urbano Prædecessore facta exciperentur dicti Ordinis Provinciæ, quæ leges municipales auctoritate Apostolica firmatas, vel consuetudines immemorabiles in contrarium obtinentes habebant: Nos supplicationibus eorumdem Exponentium nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, de venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & regularium præpositorum consilio, præfatas Urbani Prædecessoris literas non comprehendere Provincias Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Regni Galliæ, & quia illæ haberent in contrarium Leges municipales auctoritate Apostolica firmatas, seu immemorabiles consuetudines, ac propterea in dictis Provinciis omnes Patres Provinciæ gaudere debere voce activa in omnibus Capitulis, & Congregationibus provincialibus quemadmodum eatenus ab immemorabili gavissimè

Decreta Summorum Pontificum recepta sunt.